

que merito hominibus dare, atque sic τὸ κατάλειμμα *residuum* eorum, qui constantes ipsi sint adhaesuri, voluntate consequente, salvare decreverit. Hoc unicum & plenum sane mysterii est, quod admiratur Paulus in exclamatione solenni, *Rom. XI, 33.* Male itaque Reformati ad figmentum decreti obsoluti illud βάθος Paulinum obtorto collo trahunt, cum nihil minus Apostolo in mentem venerit.

XXIII.

Qui adeo *conversionem* illustrem aut omnium aut ple-
torumque *Judaeorum* ante diem extremum spe concipiunt,
eamque inter signa ipsius praecedanea reponunt, ut sua illa
spe non frustrentur, equidem ex animo optaverimus. Ex
hoc vero dicto perinde ut ex aliis, quae adferre pro causa
sua solent, parum aut nihil praesidii ad eos redibit. Quan-
doquidem Apostolus hic agit de conversione *hominum*, & sal-
vatione *in genere*, non *in specie de Judaeorum* adductione ad
ecclesiam, multo minus de aliqua *solenni & extraordinaria*
conversione ad Christum, qualis a Chiliafmi Patronis fingi-
tur. Nam etiamsi incipiat de filiis Israel loqui, potius ta-
men istorum causam evertit, qui eorum insignem conver-
sionem statuunt. Dicit enim, tamen si sint futuri instar arenae
maris, non tamen omnes aut adeo multos, sed τὸ κατάλειμμα
residuum, illos nempe, qui Christi justitiam constanter
sint amplexuri, salutem obtinere posse, atque sic paucissi-
mos ex illis servari. Istud probat Apostolus argumentum a
communi & recepto apud Deum ordine, ita ut dicat ab
ingenti multitudine hominum, adeoque etiam ex maxima
Judaeorum frequentia innumeros subtrahi & decidere ob in-
credulitatem, reliquos saltem salvari. Quid vero hoc ad
conversionem Judaeorum solennem, & toti orbi conspi-
cuam? Falso siquidem τὸ κατάλειμμα de Judaeis postremo
tempore & ante finem mundi exponitur, alioqui enim omnes

D

& sin-